

## Die Urkunden Karls des Großen, 192

Karolus gratia dei rex Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum. Omnibus episcopis abbatibus comitibus domesticis vicariis centenariis seu reliquis fidelibus nostris praesentibus et futuris notum sit, quia [ad] petitiones dilectissimi fidelis nostri Albini venerabilis monasterii sancti Martini, ubi ipse preciosus corpore requiescit, abbatis taliter concessimus, ut monachi, qui sub regula sancti Benedicti conversari videntur in monasterio, quod est constructum in honore sancti Pauli apostoli in loco qui dicitur Cormaricus, licentiam haberent naves duas per Ligerim fluvium et Meduanam sive Sartam et Ledum vel Viennam huc illucque pro necessitatibus dirigendi et nullum teloneum neque de sale neque de ullis quibuslibet rebus in ullo omnino loco ipsi aut homines eorum solvere aut dare debeant. Propterea praesentem auctoritatem fieri iussimus, per quam perpetualiter iubemus, ut neque vos neque iuniores seu successores vestri memorato venerabili viro Albino abbati aut successoribus suis sive monachis aut hominibus eorum de suprascripto monasterio sancti Pauli pro ipsis navibus inquietare aut calumniam generare nec teloneum aut ripaticum ab eis nec salutaticum nec portaticum nec ullas redibitiones requirere aut exactare ullo modo praesumatis, sed ad illum sanctum locum Cormaricum et ad fratres ipsos in eleemosyna nostra nostris futurisque temporibus perpetualiter proficiat in augmentis. Et ut haec auctoritas firmior habeatur et per tempora melius conservetur, de anulo nostro subter sigillare iussimus.

Genasius advicem Hercambaldi firmavit.

Data IIII nonas iunii anno XXXII et XXVII regni nostri; actum Turonis in monasterio sancti Martini.